



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

2 Coemeteria, & Ecclesiae eadem immunitate gaudent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

donavit, & ipsum valde penituit.

42 Honorius Imperator, ne quis ab Ecclesia extrahatur, lege prohibet singulari.

43 Theodosius Imperator Ecclesiam maximam cum reverentia, & humilitate ingrediebatur,

Pluribus quoque immunitibus gaudent Ecclesiam, etenim novem privilegia, & libertates, quibus ecclesia gaudere debet, ponit Remig. de Conn. in tract. de immunitat. eccles. lib. 1. sub nu. 16: de quibus, post tractata de privilegiis, & bonis clericorum, consequens est, ut à nobis agatur. Decet domum Domini sanctitudo: decet, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus; sic itaque ad ecclesias humilis, & devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat convenientes. Ibidem nomen illud, quod est super omne nomen, à quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen, videlicet Jesu Christi, qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum, exhibitione reverentiæ specialis attollant, & quod generaliter scribitur, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, singuli singulariter in se ipsos implentes præcipue, dum aguntur Missarum sacra mysteria, gloriosum illud nomen, quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur, attendatur in locis eisdem: intentis præcordiis sacra solemnia, devotis orationibus insistatur, nullus in locis eisdem, in quibus cum pace, ac quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in locis illis universitatum, & societatum quarumlibet concilia,

cantiones, & publica parlamenta, cessent vana, & multò fortius scæda, & profana colloquia: cessent confabulationes quælibet: sint postremò quæcunque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea, ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendatur, peccata committi: cessent in ecclesiis, earumque cæmeteriis negotiationes, ac præcipue mundinarum, & fori cujuscunque tumultus, omnis in ois sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla ibi causa per laicos criminalis maxime agitur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena, ut statuit Gregorius X. in gener. Conc. Lugdunens. cap. decet domum, de immunit. eccles. in 6. Eademque immunitate gaudent cæmeteria cum Ecclesiis, cap. cum Ecclesia, & ibi gloss. in verb. cæmeteriis, de immunit. eccles. gloss. in cap. consulisti, in ver. cæmeteria, de consecrat. eccles. vel alt. cap. si quis contumax, cum seq. 17, quest. 4. & Abb. in d. cap. cum eccl. num. 2. quæ immunitas, ne rei criminis ad ecclesiam confugientes inde extrahantur, jure pariter divino, & humano est introducta, ut censuit Concilium Colonien. par. 9, cap. 20. quod citat, ac pluribus autoritatibus comprobatur, & sequitur Bellarmin. de exempt. clero. cap. 1, §. secundo probatur.

Nec solum cæmeteria cum Ecclesiis gaudent immunitate, sed etiam atria, & porticus ecclesiarum, cap. si quis contumax,